



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Henōtikon siue Pacificatorivm Dissecti Belgii**

**Afhakker, Aegidius**

**Vrsellis, 1618**

Pars Tertia. De Variis Pro Tollendo præfato Schismate & concordia  
restauranda, eorundem Ministrorum consilij.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64709)

HENOTICI DISSECTI  
BELGII

PARS TERTIA.

DE VARIIS PRO TOLLENDO  
*præfato Schismate & concordia restau-*  
*randa, eorundem Ministrorum*  
*consilij.*

**G**LISCENTE igitur ut in prima  
parte vidimus, tam acrimulos  
per annos in fœderatis Belgii pro-  
uincijs & animorum & corporum  
schismate, multisque ad id restinguendum  
ab exteris etiam nationibus conuocatis & co-  
currentibus, neminẽ ex omnibus hanc quæ-  
dubia esset) prima esse omnino deberet, quæ-  
stionem, mouere comperio; *An scilicet sit in*  
*Christi Ecclesia aliquod quo partes tanto cum pe-*  
*riculo dissidentes ad unitatis vinculũ reuocari,*  
*æque quæ unita adhuc sunt à schismatis pernici-*  
*premuniri possint solidum ac constans remedium.*  
Unus tamen est non minimè inter eos autho-  
ritatis, qui tale aliquod remedium à Deo esse  
hominibus cõcessum modo ait, modo negat  
ut infra ultimo partis huius capite patebit.  
Credo omnes necessitatis euidencia persuasione  
quæstionem istam quasi dubio non obnox-  
am pro



am prudentes omisisse; tanquam vel ex vno hoc, de quo agimus Belgarum dissidio satis fiat omnibus manifestum Christum Dominū <sup>Mat. ult.</sup> <sup>18.</sup> (cui omnis data est potestas in cælo & in terra) vel de idoneo aduersus huiusmodi miseria remedio Ecclesiæ suæ prouidisse, vel ex malorum quæ ei euentura essent siue ignorantia siue incuria, in necessarijs eidem defuisse. Interim verò in huius remedij inquisitione pacificatores isti sententijs discrepantes, dum quærunt vnitatem, diuisioni nouam subministrant materiam. Nos itaque in hac 3. parte sententias illorum quam poterimus breuissimè referemus, simulque quanti sint valoris Dei verbo rectaque; ratione duce disquiremus.

CAPVT I.

AN MUTVA TOLERANTIA AVT  
*moderatio sit remedium concordie  
legitimum.*

**P**RIMUM consilium restituendæ pacis est Remonstrantium communiter dum volunt ab vtraque parte mutuam seruari tolerantiam ita vt vnus alterū nō iudicet aut condemnet; sed in sensu suo abundare sinat, & nihilominus in religionis communione permaneant,

P 4

ficut



sicut de vescendis quibusdam cibus docuit Apostolos *Romanorum decimoquarto*. Sed quoniam in hoc medium aduersarij non consentiunt, imo non minus probabiliter è sacris litteris & ratione probant esse iniquum & nullo modo admittendum, longius ab vnione receditur, præsertim cum iam dudum Remonstrantes in suspicionem apud aduersarios venerint, quasi nõ nisi ad tēpus, donec videbitur latius prof agentur, maioresq; sibi vires conciliēt, hanc tolerantiam cōmendare cupiāt.

Et certe cū ipsi tā absurda & blasphema Contra-Remonstratib. adscribūt dogmata, vt quæ ea tolerare in Domo Dei, quæ est Ecclesia, cupiat, omnē quoq; in eā recipere impietatem aut tolerare possit, nullatenus toleranda est talis tolerantia. Nā illi errorū magistri quos Apostoli suis temporibus, à fidelibus in domum recipi, quos saluari noluerunt, quos Sathanæ tradiderunt, quibus Anathema dixerunt, nequaquam tam impia reperiuntur sententia quam ea sint dogmata, quibus vel aperte asseritur vel consequentia infallibili deducitur Deū peccati esse authorē, eū cogere infantes vt peccēt, vt ita possit illos iuste æternis inferni cruciatibus punire: Nullū esse peccatum vel, si sit, illud nõ homines, sed Deū in hominibus cōmittere, adeoque tyrannicè & absque omni culpa illos homines in infernū detrudi &c. Hæc tamē Remonstrates passim tribuunt

suis



suis Contra-Remonstrantibus vt patet ex  
 1. parte. Nobis autem Catholicis nullum tri-  
 buere errorē vel minima probabilitate pos-  
 sunt qui tam sit vel impius vel blasphemus, a-  
 deoque omni verbo Dei rectæque rationi tā  
 contrarius. Cū itaq; nos pro fratribus tolerā-  
 dos esse nō existimēt, de Cōtra-Remōstrāti-  
 bus id existimare quomodo sincerē poterūt?  
 Ex altera quoque parte Contra-Remonstrā-  
 tes, siquidē tenere velint vnicā suā consolati-  
 onem, quā & in vita & in morte habere se di-  
 cūt, nequaquam Remonstrantium de perse-  
 uerantiæ & salutis æternæ incertitudine sen-  
 tentiam possunt tolerabilem æstimare; præ-  
 fertim cum fidem nullā iustificare putent ni-  
 si cui annexa sit (vel qua sit) certa cordis fiducia  
 quā quilibet fidelis homo in semetipso certifica-  
 tur, non solum alijs sed etiam sibi remissionem pec-  
 catorum, perpetuam iustitiam, & beatitudinem  
 à Deo donatam esse ob merita CHRISTI.  
 Remonstrantes contra, cum talem fidem nō  
 habeāt neq; docere velint ( vt patet ex quin-  
 to articulo vbi tenēt verē fideles & iustifica-  
 tos posse & à fide & ab æterna beatitudine  
 excidere ) tollunt ex Ecclesia vnicum mediū  
 per quod homines ex Contra-Remonstran-  
 tiū sententia iusti fiunt & à peccatis liberātur.  
 Quod si Contra-Remōstrantes pastores tole-  
 rare velint, oues suas lupis pascēdas cōcedēt:  
 pro quibus (si boni sint) etiā animas proprias  
 dare debent Ioannis 10. P 5 Ar-

In collati-  
 one Del-  
 phensi  
 art. 3.  
 puncto 2.  
 Leyd.  
 p. 76.



Argumenta quibus nituntur Remonstrantes hanc tolerantiam suadere, soluuntur tum attenta grauitate controuersæ, tum distinctione crescentis ac decrescentis veræ religionis in hominum pectoribus. Sicut enim est imprudentis artificis, quamlibet rudem indigestamque materiam & in sui præparatione morâ temporis indigentem, subito primoque operationis instanti, velle habere perfectam, & ab omni dispositione mala omnique obliquitate liberatam: ita diuina etiam prudētia docet, dum rudibus adhuc hominibus prauisque siue Iudaismi siue gentilissimi erroribus imbutis Christiana veritas infillatur, toleranda ad tempus esse que euelli subito non possunt opinionum phantasmata: interim ijs pro fundamento positæ quæ ad salutem cuiuslibet pro isto tempore cognoscuntur esse necessaria. Sic Apostoli suo tempore non ex prudentia carnis sed ex Spiritus Sancti sententia legales quasdam ceremonias & ipsi obseruarunt & alijs obseruandas præscripserunt, sic purificatus vt Nazareus Paulus, sic circūcisus Timotheus. Imo sic Magister Apostolorum Christus Dominus prohibuit ijs ne quod esset I E S V S C H R I S T V S intempestiuè prædicarent Matth. 16. 21. 17. 9. Genuina huius tolerantia causa est, quia non subito sed paulatim medijs dispositionibus perfectio introducenda est, adeoque in eo qui tolerat

I. Cor. 9.

Act. 15.

Act. 21.

Act.



tolerat nulla est simulatio tanquam imperfectionem approbante, sed maioris perfectionis dissimulatio, qua margaritę ante porcos non proiiciantur. Maxima verò ratione huiusmodi tolerantia erga Iudeos erat exercenda; utpote quorum legalia usque ad mortem CHRISTI sancta fuerant & Deo grata, & non subito vno temporis momento poterant aut debebant toto terrarum orbe esse noxia & mortifera: Sed nouę legis promulgatione cum honore erant sepelienda. Verum vbi perfectio semel fuit introducta, vbi errores euulsi, obliquitas expolita; tunc demum respicere retrò, per viam qua ventum erat redire, à veritate semel habita vel parum declinare nequaquam licere manifestum est, cum sit deficere. Quamobrem eis qui ad hoc vel nos vel alios student compellere *ne ad horam quidem cedendum esse suo* nos exemplo docuit Apostolus *ut nimirum veritas Euangelij permaneat vbi semel fuit.* Sic idem Apostolus qui antea circumciderat Timotheum ut tutius proficeret in prædicanda Verba fide Euangelij; nunc Galatas ne deficient monet: *state & nolite iterum iugo seruitutis contineri.* Nec simpliciter monet sed addit: *Ecce ego Paulus dico vobis quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil prodest &c.* Ita quod in priori casu prudenter & absque salutis

Gal. 2:  
versu. 3.  
& 5.  
Gal. 5. 10.



Gal. 2. 11, & seq. salutis cuiusquam dispendio seruauerat; hoc ipsum in posteriori, cum salute nō posse subsistere demonstrat. Sic idem Sancto Petro in casu ancipiti minus, vt videtur, prudēter Iudæorum potius infirmitati tolerandæ, quàm gentium perfectioni roborandæ operam danti in faciem restitit. Si istud in rebus tam exiguis factum, quid si tantis in rebus quantas hic tractamus tam ingens orta fuisset controuersia? Certe nunquam vel CHRISTVS vel Apostoli in Euangelicæ veritatē etiam exordio tam impia ac blasphema dogmata vel apud gentes vel Iudæos tolerarunt, quæ (vt loquitur, de Gomari doctrina Arminius) *repugnent diuina sapientia, iustitia & bonitati, natura etiam hominis, creatio- nis, vita & mortis aeternæ, peccati denique & gratia: è quibus sequatur DEVM esse peccati authorem, DEVM, si quisquam, peccare &c.* vnde licet fortassis non id velint Remonstrantes vt aduersariorum doctrina tanquam in CHRISTI Ecclesia tolerabilis cuilibet fidelium libera perpetuo relinquatur, sed vt velut in secundæ reformationis exordio tantisper patienter toleretur; donec cunctando rem ipsi valeant restituere; probari tamen hæc eorum patientia nec rationi rectæ nec Contr. Remonstrantibus poterit.

Ex dictis etiam facile intelligitur non esse æquam

vide parte prima de professione Arminij An. no 1608. pag. 32.



æquam moderationem huiusmodi qua recepta semel & iam diu inolita veritas reticetur, eo præsertim tempore quo, ea oppugnata, falsa doctrina subintroducitur, Si enim *quæ à Deo sunt ordinata sint*, quommodo ad pacem Ecclesiæ conseruandam veritas (non dico dissimulanda) sed labefactanda? Promisit qui *fidelis est & verax, qui cum iustitia iudicat & pugnat*, promisit inquam, *portas inferi nunquam aduersus Ecclesiam suam præualituras*. Nos in istum finem quæ nobis ipse media præscripsit adhibere conuenit: De cætero, ipsi curæ sit quomodo promissum suum impleat. Quid nos quas ipse non probat, suppetias ei ferimus inferi?

Rom. 13. 1.

Apoc. 191.

Matt. 16.

Si tamen falsa sit Contra-Remonstrantium sententia tantisquæ dicterijs merito obnoxia iusta quidem est præscripta eis moderatio: verum ad Reipublicæ pacem proficere nequaquam poterit, quamdiu falsitatis conuicti nõ fuerint: nisi fortassis pænæ timore compesci à tumultibus possint. Sed nec ordinata est coactio priusquam de causæ iustitia constet.

C A P V T II.

AN VITAE AC MORVM EMENDATIO solidum sit concordia ineunda remedium.

ALTERVM est consilium Irenæi Philaletij in suo Cleopha *Supra anno 1617.* Nullum esse aliud ineundæ denuo concordia re-



diæ remedium nisi pœnitentiam vitæque  
 prauæ emendationem: qua ex charitate pars  
 altera alteram diligat & pariter ex odio Ca-  
 tholicam religionem funditus quæ possunt  
 exterminant. Sed quid si religio Catholica  
 veritatem tueatur? Estne cuiuspiam iudicio  
 falsitatis damnata? Ita, inquit, iudicio sacra-  
 scripturæ. Negamus hoc omnes Catholici, af-  
 firmant omnes hæretici. producat ergo testes  
 legitimos, & credemus.

Interim bonus hic vir tale præscribit reme-  
 dium pro quo acquirendo aliud conueniens  
 medium & opus est quærere & reperire fors  
 impossibile. Etenim vt per hoc medium om-  
 nes vtriusq; partis dissentientes in concordia  
 redeant, oportet vt nullus inter eos inuenire-  
 tur aliquo superbiæ, auaritiæ, odij, inuidiæ,  
 luxuriæue vitio infectus. Et quis talem spera-  
 re audeat Rempubicã, quale nec duodecim  
 Apostolorum fuit collegium, vbi vnus fur e-  
 rat & proditor perditus? Si verò dicat satis ad  
 concordiam fore si communi morum refor-  
 matione respublica in statum honestatis &  
 virtutis promoueatur, vitia puniantur reli-  
 gionisque obseruantia accuratè procure-  
 tur, vt saltem plerique virtutis studio con-  
 cordiam sectentur & ita Dei iram per sectas  
 & schismata punientis placare valeant. Rectè  
 quidè istud: sed nunquid pacato etiam  
 Diuino numine, absque omni medio alio  
 absque

Ioan. 12. 6



absque cooperatione Ecclesiæ aut omni cura  
 nostra tam diri schismatis curatio præstolan-  
 da? Perinde hoc esset ac si piè quis vitam in-  
 stituens à Deo quæ ad vitam sustentandam  
 sunt necessaria postulet aut expectet, ipse  
 interim media, quibus ea sibi comparare li-  
 citè possit, non curet arripere. Certe A-  
 postolorum temporibus & aliquot deinceps  
 sæculis tanta fuit in Ecclesia CHRISTI  
 & doctrinæ integritas & morum sancti-  
 tas & religionis synceritas, quantam nec  
 sperare nos modo prudenter possumus: Sed  
 nunquid ideo hæreses nullæ temporibus istis  
 exortæ? An non exierunt quidam à cæteris ab-

ducentes discipulos post se, errantes & in erro-  
 rem mittentes, & fideles conurbantes? Quid  
 autem? an nihil aduersus seductores huius-  
 modi ab Ecclesiæ pastoribus tunc actitatum?  
 an morum duntaxat instituta reformatio?

Testantur contrariū seuerâ Apostoli episto-  
 lâ reuocati ad veritatis iam Galatæ, excom-  
 municati Alexander, Philetus, Hymeneus: cæte-  
 rique omnes qui præter id quod Apostoli tra-  
 diderant contrarium quippiam docuissent, li-  
 cet, per impossibile, Angelus esset è cælo aut  
 ipsimet Christi Domini Apostoli; fideles  
 quoq; admoniti vt huiusmodi magistros de-  
 uitantes, starent & tenerent traditiones quas  
 acceperant &c. Prudentius VVilhelmus  
 Teelingius præter hoc vniuersale etiam par-  
 ticularia esse adhibenda docet.

1. Tim. 1.  
 20. 2. Ti. 2.  
 18. 1. 10. 2.  
 18. 2. 10. 2.  
 7. 1. 10. 2.  
 15. Gal. 1.  
 7.  
 1. Tim. 1.  
 20. 2. Ti. 2.  
 17 Gal. 1.  
 8. & 9.

In-



Interim vnum velim vt Reformati circa tantam quantam hi auctores produnt, reformationis necessitatem diligentius inspiciant. Cum adeo non multa sæcula sint elapsa ab introducta primum in Belgium Euangelica (vt loquuntur) reformatione, ab idololatriæ quantum fieri potuit diligenti exterminatione, à tantæ multitudinis ad diuinam veritatem conuersione; vnde tam subito tanta vitiorum colluies? in DEVM tam cito misericordiæ suæ pœnituit? Indulgendum aliquid erat monachis & canonicis post tam multas annorum centurias in laxiorem vitæ licentiam, refrigescente tandem charitate, declinantibus. Quorum tamen reformatio per Concilium Tridentinum instituta felicibus alis successit & succedit indies. Cogitent, inquam, isti vtique per antiphrasin Reformati quid vtrobique causæ subfit; quo Spiritureformationis negotia sint confirmata.

Cum enim credendum non sit omni Spiritui, sed probandi sint spiritus an ex Deo sint. *1. Ioan. 4. 1.* numquid operæ pretium est examinare, quoniam Spiritu actus Martinus Lutherus reformationis istius antesignanus in vna & sola fide iustificationem hominum consistere tam pertinaciter tenuit & docuit, vt in epistola Apostoli Rom. tertio, versu vigesimo octauo vbi in græco abseq.



Vlla editionum variatione cōstāter legitur:

λογίζομεθα ἔν πῖσει δικαιοδοῦσαι ἀνδρωπον χῶρις ἔργων νόμος, id est: *Arbitramur igitur fide iusti-*

*ficari hominem absque operibus legis.* ipse ausu

facrilego non dubitauerit interpretari, adie-

cta voce: *Sola.* vt etiamnum videre est in Ger-

manicis eius Biblijs, Anno millesimo quin-

gentesimo quinquagesimo i. V Vittenbergæ

apud Hans Euffs editis. Nec hoc solum, sed

& egregia ratione hoc suum facinus ipse de-

fenderit TO. 4. fol. 141. hoc modo spiritum su-

um eructans: *Si papista vester multum facessat*

*negotij ob vocē (sola) dicite illi mox hoc modo: Do-*

*ctor Martinus Lutherus ita vult, ac dicit papista,*

*& asinum eandem esse rem: Sic volo, sic iubeo, sit*

*pro ratione voluntas. Non enim papistarum volu-*

*mus esse discipuli, sed magistri & iudices: Oro vos;*

*huiusmodi asinis nihil dicatis amplius nisi: Luthe-*

*rus ita vult; dicitque se esse Doctorem super omnes*

*Doctores: An ab hoc Doctore, ab hac doctrina*

*meliolem quis reformationem speret quam*

*sit ea quam fatentur ministri prædicti?*

re. rāpā

In edit.  
Ithenens  
apud Do-  
narum  
Richtz-  
hayn an-  
no 1561.

CAPVT III.

An sacra Scriptura litera sit conueniens pacis in-  
eunda remedium.

TERTIO loco examinandum occurit  
Adolphi Venatoris de religionis resar-  
cienda tenendaque concordia consiliū,

Q

mira



mirabile illud quidem, sed tamen ipsis reformationis à Luthero, Caluino eorumque socijs institutæ fundamentis vnice innixum, videlicet, omnium litigantium communi consensu vnum certum esse deligendum iudiciumque talem, decuius, vel sapientia, vel veritate, vel sententiarum verborumque claritate ambigere nemo possit; hunc ad eundem, quidquid ipse de controuersijs propositis iudicauerit, hoc ab omnibus, paribus votis, suscipiendum; quod dixerit, omnibus pariter dicendum, quod tacuerit, omnibus tacendum esse, nihil ad verba eius addendum, nihil detrahendum. Hunc autem à reformatis omnibus iam à reformationis exordio agniti esse, nullum alium nisi solas sacras literas diuinitus inspiratas. Has & verbo & phrasi ita vult solas recipi, vt vbi earum dubius sensus esse potest, sola teneantur verba, nihil ijs addatur, per quod ad vnum magis sensum quam alterum significandum determinantur; tale enim quid adijcere, esse ad verbum Dei aliquid addere, quod sub maledictione prohibitum est. Hoc, inquit, si omnes quotquot in orbe sunt diuersa religionis sectatores obseruarent, omnia prorsus hæresis omneque schisma sublatum esset. Aliam verò pro vnitatis Ecclesiæ conseruanda viam fatetur se nullam scire. Quinimò recipit se probaturum, aliam viam nullam esse, qua schismata componi possint; nisi vt quilibet

que  
trou  
sim  
inter  
su ab  
spu  
ab e  
oret  
hoc v  
ctor  
pini  
aperi  
quoc  
ris, q  
ratiæ  
hom  
fang  
viris  
dent  
confi  
mere  
patri  
re)sa  
reper  
potui  
ceo. i  
Quid  
ribus  
Dei  
in vol  
que



que interrogatus de qualibet quæstione controuersa respondeat verbis Scripturæ ipsissimis, nec quidquam amplius, in charitate se interim exerceat, & quemlibet in suo sensu abundare sinat, de sensuum diuersitate disputantes tanquã hæreseon authores arguat, ab eorum distinctionibus liberari Ecclesiam oret, &c. Videatur pag. 64. 65. 67. 68. & passim hoc vnice vrget. Quomodo hæc tibi amice Lector doctrina sapit: Si dicas per eã omnibus opinionũ, & hæresum monstris Ecclesiæ ostiũ aperiri; impietatis & blasphemix te arguit quod minus honorificè de Dei verbo loquaris, quodq; Apostolos infidelitatis, aut ignorantix infimules. Ego certè stupeo, dum in hoc homine tam manifeste perspicio quid caro & sanguis excogitare non timeat, idq; in scripto viris non stupidis, aut ridèdis, sed multa prudentia & autoritate Reipub. moderatoribus confidenter oblato. Interim aliquam fortassis meretur veniã, vt qui (dum tumultuosis hisce patriæ simulatibus studet remedium quære) saluo reformationis suæ fundamèto aliud reperire, vt fatetur, nullũ potuit. Et verè non potuit. De impietate doctrine istius modo taceo. ineptias, & impossibilitatẽ sic demõstro: Quid si quis infirmus peccatis simul & doloribus grauatus consiliũ, ac solamen in verbo Dei quærens, legat Iacob. 5. *Infirmatur quis in vobis inducat presbyteros Ecclesie, & orent*

Q 2

super



super eum ungentes eum oleo in nomine Domini  
 & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum  
 Dominus, & si in peccatis est, remittentur ei. Si  
 inquã, huiusmodi homo pro corporis similitudine  
 & animæ salute anxius, vocatis ad se presbyteris  
 dicat, peto vt pro me oretis Dominum & un-  
 gatis oleo in nomine Domini. Quid hic Venator  
 cum suis, quid respondebit? Quæretne, quomodo  
 sensu petat infirmus oleo inungi? Responde-  
 bit ille: eodem quo S. Iacobus hac intellexit. Ven-  
 gebitne Venator infirmum, vt mentem suam alle-  
 ter explicet? respondebit; quoniam peius dicere  
 nolo, & melius ipso Apostolo dicere non possum, ego  
 iterum peto & obtestor te, vt me ungas oleo; vt  
 coram Deo te accusabo, quod remedium salutis ab  
 Apostolo sic descriptum mihi negaueris. Quid Ven-  
 ator, quæ venabitur exitum? Dicetne se iam  
 unxisse miserum oleo, quando super ipso orati-  
 uit, vel quãdo CONSOLATIONEM INFIRMORUM  
 ei prælegit? Respondebit ille: un-  
 ne verba tua sunt oleum? si annuat Venator ve-  
 ba illa esse oleum spirituale non corporale. Respon-  
 dabit ægrotus; A Theologorum DISTINGUERE  
 libera nos Domine. Eodem modo, infidelis  
 Christum cõuersus baptismum petere poterit  
 Venator aquam materialẽ præparet, arguet  
 catechumenum, quod de suo aliquid verbale  
 addat. Christus enim (inquit) promisit datum  
 se flumina aqua viua, qua de ventre fidelium fluunt  
 Ioan. 7. 38. & Ioan. 4. 10. Similiter alius cupit



baptizari in spiritu & igne iuxta Luc. c. 3. 16.  
 Item alius ad cœnam dominicã cupiēs acce-  
 dere si audiat Christũ de eo quod porrigebat  
 Apost. dixisse: *hoc est corpus meũ*, dubitanq; an  
 sit corpus Christi mortuũ, vel viuũ, remini-  
 scatur istius ex Apost. Rõ. 6. 9. *Christus resurgēs  
 ex mortuis, iam nõ moritur amplius.* item istius  
 quod dixit ad Christũ Thomas, Ioan. 20. *Do-  
 minus meus, & Deus meus:* denique istius Matt.  
 4. *Dominum Deum tuum adorabis*, si inquam  
 talis homo ante Venatorem porrigentem in  
 sua cœna, quod solet populo porrigere, in ge-  
 nua procidat, vt fecerunt ante Christũ magi,  
 dicatq; cum Centurione: *Domine nõ sum dig-  
 nus, vt intres sub tectũ meũ:* quid ager Venator?  
 Nunquid idololatriam prohibebit? Interim  
 alter distinctionem non admittens persistat  
 in proposito, arguatq; ex Scriptura benè se fe-  
 cisse, impium esse Venatorem, qui Deũ ado-  
 rari prohibeat. Similiter cõscientia quis pec-  
 catorũ stimulatus, & ex verbo Dei remediũ  
 querens legat quod Christus Apostolis dixit:  
*quorum remisistis peccata, remittuntur eis, &*  
 adhuc dubius, num malefacta sua speciatim  
 confiteri debeat: legat illud *Actuum 19. v. 18*  
*multiq; credentium veniebant CONFITEN-  
 TES & annunciantes ACTVS SVOS.* Dein  
 veniat huiusmodi homo ad Venatorem tan-  
 quam Apostolorum successorẽ, cõfiteri pec-  
 cata sua cupiens, & absolui ab illo postulans;



Scripturę verbis inhæreat, petat conferri sibi quod verba significant; Quid Venator depressus inter angustias inceptabit? Si ad Scripturam & ipse confugiat citans illud, Marc. 2. ver. 7. *quis potest demittere peccata nisi solus Deus.* Monere eum alter poterit, vt nihil verbis istis demat, sed quę ibidē immediate præcedūt adijciat; scilicet: *Hic (Christus) blasphematur:* & sic num ipse Christi an Scribarum & Phariseorum discipulus sit perspicuum fiet, & alter si à peccatis iuxta Christi Domini institutionem absolui cupiat, veros Christi discipulos, qui potestatem peccata remittendi acceperunt, querat, necessarium erit. Hoc cunctis ergo remedium, quo totus mundus ab omni schismate & hæresi liberari, & ad pacem vniuersalem reuocari debeat?

Argumenta Venatoris à Scripturę perfectione & debita ei reuerentia desumpta, hæreticorum propria, id est, specie pietatis deceptoris sunt: Verum quidem enim est Spiritum sanctū per Prophetas & Apostolos optimo & perfectissimo modo locutum fuisse, non tamen verum est verborum claritatem semper esse optimum & perfectissimum loquendi modum. Patet id in Christo Domino qui multa locutus est Iudæis in parabolis, quas audiētes nō intelligebāt: imò nec discipuli eius intelligebāt, nisi cū priuatim ipse explicabat omnia & singula. Et quis nō videt claritatem

Mat. 13.  
66.



clarius explicari potuisse cap. 12. Ecclesiastæ, multos quoque psalmos, aliaque passim loca in omnibus Scripturæ sacræ libris? Visum tamen non est Spiritui S. clariùs illa scribi; Nō ex inuidia aut ignorātia, vt crasse infert Venator; sed summa ex prudentia, vt videlicet haberet superbus homo, vbi captiuare intellectum cogeretur, vt ab eis, quibus id muneris à Deo demandatur, hominibus humiliter se instrui pateretur. Patet hoc in Eunuchō Candaces Reginæ, Act. 8. Qui rogatus à Philippo: *Putasne intelligis quæ legis?* responso humili & homine Christiano dignissimo respondēbat: *Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?* Hoc respōsum si in dubijs sacræ Scripturæ locis dare didicissent sectarij, ad vnitatem, quam proprij sensus confidentia reliquerunt, citius reuerterentur, quam vllis vnquam suis Collationibus aut Synodis.

## CAPVT IV.

*An formulis ambiguis ineunda concordia.*

**A**LIVD diuulgatum est resarciendæ pacis consilium cuiusdam P. Molinæ, qui dicitur minister verbi Dei in reformatā Ecclesia Parisiensi. Typis excusū est anno millesimo sexcentesimo decimosextimo, cum parte quadam epistolæ, quam tamquam Remonstrantibus magis fauentem, Contra-Remonstrantes (altera tantum par-



te primo edita ) suppressisse arguuntur. Consilium eius in hoc consistit, vt cum adiutorio & directione Regis Britanniae in Zeelandiam conueniant bini Theologi ex Anglicana, Belgica, Gallicana, Helueticisq; Ecclesijs reformatis, singuli item vel bini ex Germaniae eiusdem confessionis Principatibus Lutheranos quoque Principes ad eundem actum sollicitandos, praesertim Regem Daniae, Duces Saxonem & Brunsvicensem, &c. In hoc conuentu nihil esse de diuersarum opinionum veritate inter partes disputandum; cum enim exacerbati sint animi neminem se victum esse confessurum, sed regredientem quemlibet triumphum de alij canturum. Ideo in mensa ponendam Anglicam confessionem & Scoticam, Gallicam, Belgicam, Palatinam, Helueticam, &c. Tum laborandum, vt ex omnibus hisce confessionibus vna conficiatur generalis confessio, in qua omittantur multa, sine quorum cognitione salutem homo potest consequi, qualis est quaestio Piscatoris, multaque aliae subtiles opiniones ab Arminio propositae de libero Arbitrio, de perseuerantia S. S. & praedestinatione. Subiungit hanc sui consilij causam: certum enim est omnes errores in religione esse exortos, aut nimia sciendi, aut nimia habendi desiderio, aut est, aut curiositate, aut auaritia & ambitione.



Ita ergo confessione perfecta, subscribere ei debere non solum delegatos, sed & Principes & nationales Synodos: tum cauendum esse, vt si in posterum in regnis illis noua quædam quæstio oriatur, nihil possit concludi aut determinari, multoque minus innouari, absque consensu omnium Prouinciarum & Ecclesiarum, quæ in istam vnionem consenserint. Pro adsciendis in hanc vnionem Lutheranis, tolerandas esse eorum ceremonias; opiniones de prædestinatione, communi quodam articulo copulandas: baptismum posse absolute affirmari necessarium ad salutem, id est, inquit, esse necessarium, vt in vniuersali Christi Ecclesia obseruetur, & ne à quoquam particulari homine contemnatur. & sic nihil amplius de necessitate vrgeatur. De vbiuitate corporis Christi tantum phrasas quasdam, quas omnes recipiunt, ponendas esse. vt quod assumpsit CHRISTVS verum corpus humanum, &c. de cæteris dubijs vtrunque tolerantiam stipulandam, nihil damnandum, nihil scriptis refutandum, donec Deus errantes magis illuminauerit. Similes formulas loquendi fingit de Christi corporis præsentia in Eucharistia eiusque sumptione. Rationem dat, quia quando actus fidei seu opinionis interior, quantumuis erroneus, diuerso exteriori actu non proditur, verbi gratia, adoratione Hostiæ



stia; qui exterior actus tolerari non potest à parte contraria, tum relicta cuilibet sua sententia possit concordia seruari. Deinde aliquot præscribit regulas, iuxta quas huiusmodi congregatio optimè posset iustitui, & ad executionem deduci.

Sed quid si Adolphus Venator ad huiusmodi conciliabulum veniens videret, neglectis sacris Scripturis, tot diuersas confessiones, in certorum commeta hominū, vnam in cramben commisceri; An hanc diuino verbo irrogari iniuriam toleraret? Non existimo; nisi forte non seriò contra Dorderacenses disputauerit. Et certè si hoc modo paci studendū, cur non potius ipsa sacra scriptura, cuius verba, phrasæ & sententiæ omnibus, qui Christo nomen dederunt, sunt sacrosancta, vnitatis & concordia formula statuenda sit, non video. Miror verò, si non verecundentur reformatores nostri, huiusmodi modos controuersias fidei terminandi nunc tam cito concipere, qui haud ita pridem vno ore omnes sacre scripturae sufficientiam tantopere prædicabant. Si se mutuo ex scriptura erroris conuincere, atque ita in sanio rem viam reducere non possint, qua fronte audent tam audacter proclamare, fidem nostram Catholicā, toto terrarum orbe à viris sanctitatis & sapientia testimonio celeberrimis (tanquam diuinis scripturis ne in vno quidem apice repugnantem) accepta



acceptatam, claro & euidenti eiusdē scripturæ iudicio impietatis condemnatam esse. Si quos inter eos salutis cura tangat, hic precor conscientia suæ coram Deo respondeant.

Porro quod ad rem ipsam attinent, quis non videat huiusmodi pacem verè esse politicam quandam nullius prorsus authoritatis conpirationem, qualem & latrones & fures, & nullius conscientie grassatores suis quibusdam legibus possint, vbi voluerint, constituere? Ergone vbi cuiuspiam hæc conspiratio displicere cœperit, innouare sine omnium prouinciarum consensu nihil audebit? Quis prohibebit? verbum Dei? sed in hac conpiratione verbi Dei ne mentio quidem vlla. Mirari certe ego satis nequeo, vbinam huius Molinæi & aliorum, quibus huiusmodi concordia decretum placet, sit conscientia. Decreta Imperatorum, Regum, imo totius Ecclesiæ ipsi, cum palato suo non sapiunt, eo solum titulo liberrimè iam dudum contempserunt, quod præter ea quæ Deus mandauit suis fidelibus aliud adhuc quippiam oneris imponant populo. Constat vero legitimam tum Ecclesiæ tum magistratus potestatem à Deo esse ipsis communicatâ cui obedire debeant subditi, *non solum propter iram sed etiam propter conscientia.* Et disertè dixit præpositis Ecclesiæ suæ Christus: *Qui vos audit, me audit.* Authoritas hæc iam pridem contempta ab istis homini-

homini-



hominib. fuit, vt solum specie tenus verbum Dei teneretur: Nunc & verbi Dei etiam species abijcitur, & authoritas nescio vnde vsurpatur, vt omnibus hæresibus & monstris opinionibus Ecclesiæ ostium violenter, conspirantibus scilicet quibusdam politicis, effringatur,

## CAPVT V.

*An per solam authoritatem magistratus pax debeat reuocari.*

**Q**uintum dat consiliū author Respon-  
 nis ad 3. quæstiones, quæst. 3. vbi Remon-  
 strantes vult per authoritatem magistratus  
 politici cogi ad concordiam seruandam, & i-  
 dem cum Contra-Remonstrantibus sentien-  
 dum. Ratio eius est, quia Remonstrantes fa-  
 tentur se salua conscientia posse sententiam  
 aduersam amplecti: Itaque conqueri non po-  
 terunt, se contra conscientiam cogi ad obe-  
 diendum hominibus cōtra voluntatem Dei.  
 Eadem fuisse videtur Serenissimi Regis An-  
 glia sententia in literis ad Ordines confede-  
 ratos sæpius datis. Verūm quid de tali paci-  
 ficationis modo sentiant Remonstrantes,  
 patet ex modesto illo à Curia Geldriensi de-  
 cretorum examine, an. 1617. pro Remonstran-  
 tium causa emisso, vbi mortem se aliosque  
 potius appetituros, quam à sententia discessu-  
 ros rotunde profitetur author. Cum item oēs  
 communiter Remonstrantes tumultuū ac tur-  
 barum



barum auctores se esse strenue pernegent, totamq; turbatæ reipub. eausã in impotētē & inordinatū aduersariorum zelū proijciant, vt patet ex epist. Leydens. ad exteros, non minori ratione putabunt aduersarios, suos ad moderationem ab ordinibus præscriptam cogendos esse, &c. non leue argumentum ex ipso Ordinum decreto desumentes. Si Contra-Remonstrantes replicent, se salua conscientia id permittere non posse; non eis credent Remonstrantes, sed conscientiam illam sui odium, inuidiam, dominandi libidinem interpretabuntur, vt in plerisque libellis non tacent, & Arminij amici in prologo ante eius professionem de Gomaro aperte indicant, maximè cum iam ab initio per maius consilium Hagæ declaratum fuerit, dissidium inter Arminium & Gomarum necessaria ad salutē nō concernere: idēq; postea Rex Angliæ iudicauerit. Deinde cum iam hucusq; malū excreuerit, habent proculdubio quoq; Ordines suas causas, ob quas hoc pacificationis consiliū approbare detrectent.

Demum cum hoc pacis remedium prorsus sit politicum & ad externam Ecclesiæ, quietem ordinatum, non est Ecclesiæ omnino necessarium, adeoque ab Ecclesiæ Pastoribus non tanti faciendum nec tantopere vrgendum, quasi sine hoc remedio nullū aliud Ecclesiæ suæ Christus reliquisset, quo pacem, vnitatem,



nitatem, & concordiam inter se membra retinerent. Nam sicut esse & florere Ecclesia Christi potest absque omni politica potestate, ut primis 300. annis manifestè visum fuit, cum non tantum pacem nullam, aut quietem; sed persecuciones, dispersiones, mortes & vicula ab eadem pateretur: ita habuit, adeoque etiamnum habet, quo inter infinitas licet hereticorum sectas corporali præsentia constituta, tantam inter membra sua conferuet unionem & pacem, ut non in duo aut plura dissectum, sed omnino vnum Christi corpus dici & esse valeat.

Postremo si (ut volunt etiam Contra-Remonstrantes) nemo contra aut præter Dei voluntatem in sacris literis reuelatam aliis præcipere quidquam possit, Remonstrantes autem parati sint sacræ Scripturæ iudicio se submittere; quomodo iure compelli, ut à sententia sua discedant, poterunt priusquam in sacræ scripturæ iudicio legitimè fuerint erroris conuicti? Fiat ergo (inquiunt) conciliū.

---

## CAPVT VI.

*De quibusdam difficultatibus spectantibus ad conciliū.*

**S**equitur nunc Consilium vltimum de ferenda per nationalem synodum sententia definita



definitiva, cui qui acquiescere voluerint, eos profratribus habendos; qui contumaces in contraria sententia perstiterint, pro hæreticis reiiciendos & vitandos, atque ita habendam concordiam sine ijs, quibuscum ante haberi non poterat. Auitum sane hoc est remedium, & ab ipsis etiam Apostolis vsurpatum *Act. 15.* A Contra-Remonstrantibus etiam iam à multis annis impense expetitum; sed ne Catechismus & Confessio reuiderentur & ob alias forte etiam causas hæctenus dilatum.

Remonstrantes non tantidem synodum faciunt, nisi vel Ordines ferendæ sententiæ præsideant, vel de tolerantia spes certa affulgeat. Quamobrem quæstiones quasdam solent aduersarijs mouere, quibus & ferendæ per synodum sententiæ difficultas appareat, & latæ utilitas euanescat. Conantur tamen ad quæstiones illas respondere Contra-Remonstrantes. Inter quos author Responsionis ad tres quæstiones cum ad quæstionem tertiam *pagina quadragesima prima* statuisset, debere per synodum pastorum & superintendentiû Ecclesiæ iuxta sacras literas dijudicari, si quid in doctrina hæctenus recepta ordinatius aut clarius disponi possit, etiam in ipsa confessione & Catechismo; eique synodo Remonstrantes, (ni contumaces haberi velint) debere se submittere; obijcit sibi *pagina quadragesima secunda* hoc modo: *Dicetur hic:*  
Si

Si



Si Remonstrantes id fecerint, iam certa eos manet condemnatio; aduersarios enim suos habebunt iudices. Respondet: Quid si in synodo omnes aut maxima pars eorum de Remonstrantium sorte essent; nunquid & tunc pars aduersa sententiam diceret? Certe pastores Ecclesiæ cum aliqua saltem doctrina & Religione in synodo compareant oportet: Si velint, vt Magistratus controuersarum inter partes iudicem agat, praterquam quod si nec legitima esset Ecclesiæ synodus, nec id Magistratus officio condescens; etiam tunc, approbante Magistratu vel vnam vel alteram partem, cum alteram ipse sequatur, numquid iterum pars aduersa sedebit iudex? Nihil amplius ad quæstionis solutionem dicit: Sed subiungit, Remonstrantes ob pacis studium, quod profitentur, debere silentio obtegere, si quid diuersum opinentur, quod salutem non attingit, nisi fraternâ collatione dissidiū possit componi. Si autem de necessitate vel perfectione salutis sit quæstio, prouocent ad synodum, quæ si cuius partialitate contra Dei verbum processerit, tum Magistratus de veritate rite instruat, moneaturque, vt procuret bonâ fieri in terra sua reformationem: id quod dein Magistratus, vbi probe negotiū intellexerit, & de veritate plene certus effectus fuerit, debito, inquit, modo efficiet. Sic, ait, fecerunt primi Papatus reformatores, qui videntes in Papatu fundamētū salutis esse euersum, clare id ex Dei ver-



bo demonstrarunt, ad liberū legitimūq; conciliū prouocantes, cumq; illud Tridenti tyrannico modo non iuxta Dei verbū haberetur, Magistratū admonuerūt, (postquam Romanus Anti-Christus nil nisi regni sui idololatrici stabilimētū quaereret) ipsi suas terras iuxta Dei verbum rite curarent reformari. Et hac causa fuit, cur Ecclesia Belgica confessionem suā ad Hispania Maiestatem transmiserint. Sic etiam Remonstrantes deberēt, &c. Sed miror hunc hominem aliās subtilem satis, ita nunc miserè quæstioni propositæ satisfacere. Quis Remonstrantium ita cęcutiat, vt respondere (si velit) non possit, multo ordinatius Arminium suam reformationem instituisse quam Lutherum ipsum; imo omnia seruasse quæ hic ab authore præscribuntur: Lutherum enim primo reformationē suam à concitando populo incepisse, pro concione contra indulgentias horrendum detonuisse, theses numero ad nonaginta quinque & in ijs de purgatorio, de vera pœnitentia & charitate, deq; indulgentijs copiose, contra cōmunē totius Christianitatis doctrinam, multa asseruisse, antequam vel proprium ditionis istius, cui subiectus erat, Episcopum de cōcepta reformatione admoneret; vt testatur, præter Florimundum Remundum, etiam ipse Sleidanus Luthero studiosissimus: Arminium vero nunquam populo sententiam suam explicuisse; in Academia solum sententiam

R

suam



*Hac de Lu-  
thero fate-  
tur Sleida-  
nus, qui ta-  
men ipse  
Lutheranus  
viam turpi-  
ver ingra-  
tiam Lutheri  
mentitur,  
vt à quodā  
11000. mē-  
daciōrum  
in ipso de-  
prehensa  
esse testetur  
Floremun-  
dus Remun-  
dus.*

suā de prædestinatione tanquam probabilem  
docuisse: hoc prohibitum numquam fuisse,  
ne quidē apud Catholicos: Lutherum Romā  
citatum ad Pontificē, licet adhuc legitimū solum  
iudicē illū agnosceret, eo se conferre noluisse,  
Arminium ab Ordinibus citatū comparuisse,  
doctrinam suam eis probatam reddidisse, in  
nullo vnquā Magistratui rebellē extitisse. Lu-  
therum an. 1519. tertia die Martij datis ad Pō-  
tificem literis protestatum esse se erga Romanā  
Ecclesiam & ipsum quoque sic esse affectum, vt  
nihil in eam moliri cogitet, tantam enim eius Ec-  
clesiæ potestatem esse, vt præter vnum Christum in  
rebus humanis nihil ea sit excellentius. Ab hoc  
tamen Pontifice, ad quē à Cardinale Caietano  
appellauerat, sequenti anno hæresios damna-  
tum: Altero dein anno ab Imperatore supre-  
mo eius in politicis Domino iterum damna-  
tū & proscriptum, cū tali encomio, vt in pro-  
scriptionis decreto dicat Imperator, immen-  
tatem Lutheri atq; rabiē nullius oratione satis ex-  
plicari posse: nō hominem esse qui sic agat, sed dam-  
nem potius humana specie, &c. Lutherum ite-  
rum ad concilium prouocasse, sed in concilio  
vniuersali Tridenti congregato iterum dam-  
natum fuisse. Quod si tyrannice & contra li-  
teras factum fuerit, vt propterea Lu-  
therus iam à Cesare damnatus, Cæsari sub-  
ordinatum ac subiectum quempiam Ma-  
gistratum politicum iure interpellari  
Armi-



Arminium nihil mitius à zelo Contra Remonstrantium expectare potuisse, cum illi expresse fateantur doctrinam Arminij salute salua subsistere non posse, ideo eorum iudicio se committere nec debere, nec posse, hoc se prædicere, quod Lutherus postea dixit. Mississe etiam quidem Belgicas Ecclesias confessionem suam, *quam modo nesciunt à quibus facta sit*, ad Regem Hispaniæ; illum tamen confessionem istam improbasse, & iuxta uniuersale totius orbis concilium Tridentinum aliã confessionem aliamque reformationem illis præscripsisse; tũ Ecclesias illas Belgicas sententię regię acquiescere noluisse. Nunc quoq; ipsos Hollandiæ Ordines summa prudentia & æquitate moderationẽ quandã Contra Remonstrãtib. præscripsisse, quã ipsi recipere nõ minori contumacia denuo negarint: ita nihil ipsis placere, quicquid vel Ecclesia vel Magistratus quicumq; statuerit; frustra ergo nunc illos de Magistratus officio hæc interfecere, nihilq; ad quæstionẽ propositam respondisse.

Alteram dein author libelli pag. 44. mouet quæstionẽ: *Quæretur hic, inquiens: Quid si ergo Synodus aut Concilium quippiam concluderet verbo Dei cõtrarium, Anne ministri omnes & Ecclesia membra ei stare conclusioni tenerentur? An Magistratus eandem manutenere?* Resp. Nondum ita factum est, nec decet vt Remonstrantes de suis confratrib. nec Magistratus de fidelibus ministris, tam sinistre suspicentur: ad rem ipsam veniamus,

Leyd. p. 34

R 2

Vide a.

abilem  
o fuisse,  
Romã  
mũ fuit  
oluisse,  
aruisse,  
hisse, in  
lle. Lu-  
s ad Põ-  
Romanã  
tum, vt  
eius Ec-  
istum in  
b hoc  
ierano  
damna-  
e supre-  
damna-  
in pro-  
immani  
satis ex  
ed dam-  
um tre-  
concilio  
m dam-  
ontra se  
erea Lu-  
ari sob-  
am Ma-  
bellarum  
Armi-



videamusq; quem Deus sit daturus exitum. Sed  
 heu cœcitas! Licuitne Luthero, Caluino eorū  
 que consortib. cum benignis, charitate lectu-  
 ritateq; instructissimis literis ad Trident. Co-  
 cil. sapius euocarentur, licuitne inquam illi  
 de tanto Concilio ex toto terrarū orbe tot  
 tegris annis celebrato suspicari, quod de his  
 Contra Remonstrantibus suspicari non de-  
 ceat. Mirum quā confidentia tantū sibi ascri-  
 bere hi homines non vereantur; præsertim  
 cum non ex solis diuinis literis, sed ex Cate-  
 chismo etiam & confessione sua, commentis  
 incertorum hominum, de controuersis sen-  
 tentiam ferre cupiant. Sed pergit ipse & fa-  
 tetur, quod si contra Scripturam aliquid con-  
 cluderetur in synodo, nec populū nec Magis-  
 tratum ad approbandum conclusionem  
 istam fore obligatū; debere tamen nihilomi-  
 nus negotium in legitima synodo pertracta-  
 ri. Moxque ita subdit: vt igitur hoc discrimen  
 & cause huius aequitas recte intelligatur, sci-  
 dum est, sicut triplex est questio, sic etiam esse qua-  
 si triplex iudicium. Prima questio est: An doctrina  
 quedam, salua conscientia, tanquam verā tenē-  
 possit: hoc iudicat solum verbum Dei. Secunda  
 An doctrina aliqua in Christi Ecclesia tolerari  
 eiusq; propugnatores pro membris ministrisq; Ec-  
 clesie haberi debeant: hoc iudicant ex verbo  
 Pastores, & inspectores Ecclesie, iuxta illud Act.  
 18. Attendite ergo vobis & vniuerso gregi, &c.



ad hoc iudicium est synodus. Tertia: An doctrina aliqua palam in aliquo regno doceri debeat: hoc iudicat Magistratus vt caput populi.

Subtilis equidem nec satis Theologica <sup>1. Theff. 5.</sup> distinctio, à qua liberari se Venator meritò <sup>20.</sup> iam dudum petijt. Quid enim? An ergo Scriptura tam imperfecta, vt omnia iudicare circa religionem nequeat? nunquid Scriptura sacra etiam, quicquid bonum est, tenendum esse iudicat, si ergo etiam quænam illa sint quæ tanquam vera æstimari secunda conscientia possunt, adeoque quæ bona sint, sufficienter diiudicat, quid opus est ex Pastoribus Ecclesiæ quærere, quid pro vero in Ecclesia recipi aut tolerari debeat? Item cum Christus Dominus Apost. ad prædicandum per orbem vniuersum Euangelium, ablegaret, numquid præcepit eis, vt ex regibus & præsidibus sententiam quærerent, num placeret eisdem Euangelium palam in regnis eorum doceri? Nec mandatum hoc eis est à Domino nec obseruatum: sed prædictum potius: *antereges & præsides ducemini propter me, &c.* Nescit hic homo Euangelicæ prædicationis dignitatem; nescit eandem (quem pro se citat) Grotius; in cuius verbis (pag. 46. hic citatis) nulla est de S. Scripturæ iudicio mentio, magisque dicit Scripturam iudicandam à quolibet partiuulari homine quam iudicare quidquam. Sed de hoc infra. Interim instat author iste vsque



ad finem, partim vt Magistratus Remonstrantes reprimat, partim vt Remonstrantes synodo se subijciant. Fatetur tamen neminem synodo teneri, si falsum determinet. Non ergo subijcere se synodo Remonstrantes tenentur nisi sub hac conditione; si synodus verum determinauerit, id est, si iuxta sacras literas sententiam tulerit. Quod si Contra-Remonstrantibus sufficiat, non erunt credo Remonstrantes difficiles: Sed finito concilio damnataque Remonstrantium sententia, si nihilominus Remonstrantes negauerint, se ex Scriptura conuictos fuisse, si de ista synodo eadem dixerint, quæ de Tridentina alijsque Catholicorum concilijs dicere reformatores conuenerunt, quisnam concilij erit fructus? qui nouam litem dirimet? Certe synodus ipsa iudicanda erit, à quonam iudice? An à Sacra Scriptura? Sed hoc iam factum fuisse dicent Contra-Remonstrantes, negabunt Remonstrantes: quis litem dirimet?

## C A P V T VII.

*Doctrina VVilhelmi Teelingij de utilitate Concilij pro tollendis disidijs.*

**H**IC author (de quo supra parte x. in 1616. quædam diximus) in Eubulo de Ecclesiæ Authoritate cap. 28. §. 3. post scomma in Ecclesiæ Cathol. infallibi-







Pag. 298.

bile Concilium difficultates vel maximas relegat terminandas, sed ad solam Scripturam, ad quam etiam omnium decreta conciliorum à quolibet etiã privato homine vult examinari, libere etiam reijci, si ipse contrarium ex Scriptura intellexerit, quantumvis concilium vel Ecclesia vere, & in conscientia certa sit, conclusiones suas iuxta verum Scripturæ sensum factas esse. De concilijs absolute cap. 29. sect. 5. etiam nouimus, ait, synodum nunquam semper cõtrouersias finire posse, quinimo etiam synodum errare ac falli posse. Et quisnam est autem qua datur in terra congregatio, qua errori profusus non sit obnoxia? aut quidnam filijs hominum à Deo cõcessum est, per quod certo & infallibiliter religionis cõtrouersias finire possint? Nõ est (fateor) non est synodus: nec nostra hæc est corpori molesta scripturatio pro qua etiam exiguam speramus gratitudinem, Similiter nec est ordinum resolutio, nec decreta vlla edicta aut mandata principum regumue. Omnes enim hi errare possunt & falli: Nihilominus tamen hæc sunt media, per qua Deus, licet non semper (vt & suam libertatem & impotentiam nostram sentire nos faciat) ordinarie tamen bonum aliquid operatur, exortasq; in Ecclesia difficultates componit. Ceterum, certum hoc est, nullum huiusmodi medium à Deo filijs hominum hic in terra concessum est, per quod certo & infallibiliter, religionis cõtrouersias in Ecclesia exorturas dirimerent: Nequaquam, nihil tale. Non maiorem auctoritatem



thoritatem tribuit Sanctis Patribus in ijs etiã  
 punctis doctrine, in quibus omnes vniformi-  
 ter consentiunt. cap. 19. sect. 2. & 3. Quin imo  
 non reuerenter satis aut modeste de iisdem  
 passim loquitur. Nam pag. 39. & seqq. *Si enim* Pag. 39.

quidquam est, inquit, in toto mundo, quod vacilla-  
 re hominum fidem faciat, & in incertum fluctuare;  
 Si quidquam est, quod vnitatis aggeres perrumpit  
 & iurgiorum aquas irruere facit, pro ijs qui disti-  
 dyd delectantur, vt loquitur Salom. Pro. 17. 4. cer-  
 te est numerosa illa classis scriptorum Patrum. & pa-  
 gi. 42. Insuper quis negare potest, Patres, quia com-  
 mixti erant inter gentes, multa ordinasse ac dispo-  
 sisse ad gentiliū morem, vt eo facilius (pro vt ip-  
 si hoc concipiebant) gentes lucrarentur? Eadem quo-  
 que de causa super grauib. arduisq. punctis capita-  
 lib. nimum sunt philosophati, sacras quoque literas  
 sepe numero non parum liberè modo in hunc, modo  
 in illum traxerunt sensum: similiter cedentes ali-  
 quantulum aui sui corruptelis & abusib. reperiun-  
 tur paulatim viam strauisse (vt pote per impruden-  
 tiam manum manui ad hoc iungentes, quanquam  
 nullatenus id intendentes) ad miserabile, quã nũc vi-  
 demus, Ecclesia Rom. ruinam, &c. & p. 43. non est,  
 apud illos (Patres) insolitum tum disputãdi vehe-  
 mentia, tum adhortandi monendiq. abundantia, rã  
 futurorum errorũ ignorantia, tum cõmoditate qua  
 dam ex accommodatione ad istorum temporũ dispo-  
 sitionem percepta, multa & scribere & ordinare,  
 qua tamen ipsi non ita proprie senserunt aut obser-



uavunt, ut videntur sonare, &c. Et seq. sect. con-  
 cludit nihil habiturū admirationis, si ita con-  
 tingeret, ut neotericorū scriptorum spicilegiū toti  
 SS. Patrum messī prestare inueniretur. Et sect. 7.  
 ac deinceps ait, eos, qui SS. Patrū lectioni stu-  
 dent, iram Dei in se prouocare, diabolum stu-  
 diosissime ad hoc allaborare, ut praelara Christia-  
 norū ingenia in hoc specie tenuis pulchro reueratu-  
 men noxio studio occupentur, sic enim S. Scriptu-  
 ram negligi & paulatim profus à nobis tolli,  
 simulq; hominū inuenta perniciofa in Eccle-  
 siam Christi introduci, quæ Deus execretur.  
 Et tamen p. 40. sic loquitur: *libenter fatemur*  
*de nobismetipsis quod indignos nos arbitremur,*  
*qui lauandis Patrū manib. aquā infundamus aut*  
*libros eorū post eos feramus. Testimoniū hoc vlti-*  
*imum verū est, quāquam non illud veritatis*  
*amor ex corde elicuit, sed ignominiz partim*  
*timor, partim simplices pietatis quadam lar-*  
*ua decipiendi studiū profano etiā ac reluctatū*  
*calamo extorsit. Sic pius est Teeling. vbi que-*  
*stum facere ex pietate nouit, 1. Tim. 6. vers. 5.*  
*Nihilominus ca. 29. sect. 6. & 7. pene impatien-*  
*ter cōciliū vrget. Præuidens autē quid in per-*  
*missio cōcilio euenire facile posset, sect. 8. mo-*  
*uet hanc quæst. Quid si celebrato concilio per om-*  
*nia legitimo, Magistratus post sedulam diligentiam*  
*& veritatis sufficientē indagationē iuxta S. Scri-*  
*pturæ normā in conscientia sua sententiā cōciliū pro-*  
*bare nō possit, sed eam iudicet cōtrariari S. Script.*

Pag. 313.



nō obstantib. multis Scriptura testimonijs à synodo pro sua sentētia, allegatis, putetq; Magistratus suā sentētiā, synodo contrariā, veram esse, & solidius in Dei verbo fūdātā? Ad hāc difficultatē, quā dicit esse permagnā, prēmisis aliquot cōsiderationib. itādē timide respōdet, si synodus ita legitime sit habita, vt nulla in eam cadat exceptio, præsertim si cōmuni suffragio totius synodi sententia lata sit, & nisi notabiles oriantur difficultates ex ipsa re, de qua lata est sentētia, in hoc casu se nō videre aliud, nisi quod honorabilis Magistratus synodali conclusio- ni locū dare debeat, nec propriam suam sententiam Ecclesie inordinatē obtrudere, quod id nulli hominū liceat. Præterea, inquit, etiam si honorabilis Magistratus veritatem penes se esse existimet, nihilominus obliuisci nunquā debet, etiā se errare posse, esseque possibile, vt non Ecclesia sed Magistratus ipse à veritate deuiarit, quandoquidē Magistratus errori magis est obnoxius quam Ecclesia. Quare si error, in quem Magistratus Ecclesiam incidisse existimat, sit circa ea, quæ ad salutem & Ecclesie ædificationē necessaria nō sunt, Magistratus, ex pietate erga matrem, nō se ei opponet, sed tolerabit eā: si autē eiusmodi sint, vt vere circa ea Ecclesia errauerit, debet se Magistratus ei tanquā synagogæ Satanae opponere, conatus eius infringere & veritatē defendere. Inijs quoq; quæ ad fidem pertinet, licet tam necessaria non sint, si Ecclesia sub  
 graui



Pag. 331.  
& 332.

Pag. 335.

gravi censura, determinet, debet Magistratus ob Ecclesie pacem non turbendam ei cedere, si pauci sint, in quos illa censura fertur: si autem multi sint, ita ut per censuram illam schisma causetur, tum debere Magistratum se illi sententiae opponere, eiusque retractationem postulare, & damnatos defendere, si adhibitis debitis medijs non possit Magistratus assentiri Ecclesie; tamen non solum Ecclesiam, sed quemlibet particularem hominem posse iterum secundum Scripturam examinare iudicium Magistratus, eique improbato repugnare, & ab Ecclesia posse Magistratum excommunicari, nullum autem esse hominibus aliud pacis remedium, sed omnia sic committenda esse Deo, ut ipse tunc immediate Ecclesie suae succurrat, & suo tempore retribuat peccantibus.

Non multum dissimilem de componendis Ecclesie dissidijs fuisse Arminij sententiam, patet ex oratione eius de qua parte prima Anno 1605.

## C A P U T VIII.

### Examinatur sententia Teelingij.

**S**ED isthæc Teelingij doctrina multos eosque gravissimos patitur defectus, quos ut devita-



diuitarent alij, priores concordie ineundæ  
 modos videntur excogitasse. Nec difficilis est  
 censura. Primò enim vana est prorsus, & abs-  
 que omni soliditate infinitas creat molestias.  
 Nam vbi pars vna ita se existimat clarè veri-  
 tatem ex Scriptura deduxisse, vt nisi cum per-  
 tinacia dissentire nemo possit, qui Scripturæ  
 istam testificationem inspexerit (si enim hoc  
 non fecerit, nihil certò definire potest) simula  
 que hanc suam deductionem parti aduersæ  
 proposuerit; qui fieri potest, vt, si nihilomi-  
 nus pars ista ob allegata testimonia à contra-  
 ria sententia non discedat, non ex prauo quo-  
 dam affectu procedere iudicetur. Sic si Magi-  
 stratus causam suæ sententiæ ita manifestè se-  
 credat concilio ex Scriptura declarasse, & ni-  
 hilominus concilium sententiam contrariam  
 veram esse determinauerit, præsumet Magi-  
 stratus meritò defectum aliquem inuidiæ,  
 odij, superbiæ, aut alium quempiam huius-  
 modi concilij iudicium corrupisse, adeoque  
 tanquam illegitimum retractari postulabit,  
 nec retractationis huius vllus erit finis, quã-  
 diu Magistratus sententiam suam clarè esse  
 Scriptura deductam existimauerit. Ex altera  
 parte concilium ex suæ deductionis clarita-  
 te idem de magistratu censebit, atque ideo  
 eundem monebit synodus, vt sanius iudicet,  
 & benè profunde conscientiam eius tanget, vt dili-  
 genter caueat, ne manus iniiciat in sponsam dilectam

Pag. 325.

D.N.



D. N. IESV CHRISTI. Certè Conc. Trid. multis integris annis tanta cum ordinatione, tanta cum pietate, tot orationibus & ieiunijs tam diligenti omniũ rerum examine fuit celebratum, vt si quod vnquam post Apostolorum tempora legitimum fuerit in Ecclesia Concilium, id esse Trident. negare, aut ambigere iure nemo possit. Imò notus mihi est, qui cum Calvinianæ Religionis non mediocris doctrinæ esset Theologus, oblatumque sibi alicubi, vt legeret Concil. Triden. cum refusu, etiam vix legere dignatus, acceptasset, sola isthac lectione ad religionem Catholicam sic conuersus. Si tamen aduersus hoc concilium tā multa omnes deblaterāt sectarij, an sperandum est, vt magistratus nullum omnino defectum subesse credat, vbi synodum quamlibet contra clara scripturæ testimonia sententiam dixisse crediderit.

*Secundo:* Cum effectus seu finis concilij sit doctrinæ in Ecclesia vnitas, schismatũ, tumultuum bellorumq; remotio: tantum abest, vt hæc bona ex hac Teelingij doctrina sperari possint, vt contraria potius infallibiliter ex ea proueniant. Quis enim non videat armari hæc viâ magistratum iusto bello (quod intermittere non debeat) aduersus Ecclesiam, non minus quam hanc contra illũ; imò quemuis priuatum hominẽ aduersus Magistratum & Ecclesiam. Quid enim; si, vbi synodus omnibus tẽ-

satis



eatis medijs, adduci nō potest, vt cū magistratu cōsentiatur, sed fidei quandā veritatē tanquā Ecclesiæ ædificationi necessariam sub anathemate, aut alia quadā grani cēsura determinat; si inquā magistratus omni similiter diligētia adhibita, synodū errasse ex cōscientia sua iuxta scripturæ iudicium crediderit: quid cōsiliij quo minus arma aduersus Ecclesiā corripiat. Urgebit certē magistratū conscientia, & per eā lex diuina, vt veritatē populūq; contra synodi censuras tueatur, falsamq; doctrinam cū synagoga Satanę exterminet. Synodus contra Magistratū tanquā persecutori, & tyrāno armis suis spiritualibus repugnare, à veritatis prædicatione non desistere tenebitur. nec lex erit vlla, aut iudex in terra, qui litem dirimat. Ita scriptura S. iudice inenitabilis belli gerēdi necessitas, eaq; vtrinq; iustissima & magistratui & Ecclesię imponetur: quo quid absurdius excogitari potest? Vidit hanc absurditatē ipse Teelingius, eamq; inter multas distinctiones, & ambages partim dissimulat, partim ad immediatā Dei prouidentia cōfugiēs infallibili quodā (quod hactenū negauerat) sed Chimerico cōcilio præcauedam firmiter se credere simulat, cū pag. 330. vtrāq; partē, ait, certō sibi posse persuadere, si ex bona cōscientia, & intentione simplici ac recta instructionis media & adhibeant & admittant, Deum eorum labori optatū effectū largiturum. Quid autē per hūc

effe-



Mat. 28.  
19.

effectum intelligat mox subdit; nam nullatenus cogitandum est Dominum Iesum Christum qui promisit se cum sua Ecclesia futurum vsq; ad mundi finem, eidem in tam singulari ac ardua necessitate non ad futurum ad reuelandam omnium conscientijs veritatem; si modo debite & bona fide excitauerint bonum Dei spiritum, qui in eis habitat. Nam 1. Condicio hæc rarò ab vtraque dissidentium parte impletur. 2. Si nihil certo credendum, nisi quod manifestè ex Dei verbo educitur. Cur adeo sibi certo persuadet Teelingius omnium dissidentium conscientijs veritatem immediatè à Deo reuelandam? An quia Ecclesiæ suæ Christus se semper ad futurum promisit? cur ergo eidem tot ante Lutherum sæculis non adfuit? Nunquid maius incommodum in Ecclesiam ingrueret, si politicus eam Magistratus gladio persequeretur, quam cum mille & amplius annis meretricis Babylonicæ veneficijs ac fornicatione corrupta in Satanæ Synagogam transformeretur? vbi tunc erat Christus? Aut si tantopere à magistratu politico Ecclesiæ salus dependeat, vt nisi cū eo pacem habeat, subsistere nequeat, quid mirum si Remonstrantes politico magistratui supremam in Ecclesia potestatem attribuant? Curandū quoq; diligenter erit cuilibet politico principi, ne reformatores istos in Rēp. permittat irrepere. qui enim religionem suā saluam esse posse diffidūt, nisi à poli-



à politico magistratu fulciatur, ingens equidē  
ad affectandam tyrannidē habent incitāmē-  
tum. Nos certē degenerem huiusmodi Eccle-  
siam Dei non agnoscimus; nobiliorem volu-  
mus Christi spōsam, eam scil. quæ fundata su-  
per firmam petram hēresum maledicta nouit  
contemnere, persecutionū procellas quātum-  
uis maximas, omnesq; inferorum portas vin-  
ci nescia spernere, quæ primis à Christo 300.  
annis, vniuerso eam terrarum orbe ferro, &  
igni persequente, frementibus vbiq; Diocle-  
tianis & Neronibus, proprio purpurata san-  
guine ad hanc, quam omnes ei modo inuidēt  
hæretici, gloriā exurrexit. Adfuit ei semper  
Christus sponsus fidelis, non tamen eo modo,  
vt dissentientes ab ea politicos principes ipse  
sine medio veritatem docuerit, sed vt per eā  
Euangelio suo illis explicato, vel dociles sub-  
iectosq; aggregaret Ecclesiæ eidem suæ disci-  
pulos, vel superbos ac tyrannide sæuientes  
suorum patientia confunderet inimicos. Fru-  
stra ergo ex perpetua Christi in sua Ecclesia  
præsentia certo sibi persuadet omnium con-  
scientijs veritatis futuram à Deo reuelationē.

Tertio: Posito etiam siue casu siue per mi-  
raculum isto magistratus cum synodo con-  
sensu, aliud adhuc absurdum remanet, idque  
longè maximum; sententiæ videlicet ita etiā  
vnanimiter latæ incertitudo, adeo vt nemo,  
vel ex infima ac rudissima plebe ei suam con-

S

formare



Pag. 252.  
1699.

formare opinionem tutò possit, nisi ( vbi ipse decretù de integro examinauerit ) per omnia S. literis inueniat consentaneū; quod si ita esse non comperiat, salua conscientia reijcere sententiã, & magistratus & Ecclesiæ libere possit ac debeat, suamq; propriam, quam ipse sacris literis conformem existimat, constantetueri. Hæc omnia apertè ipse Teelingius fatetur, & probare nititur ex professo *ca. 28. sect. 4.* statuitq; neminem posse aliunde firmum, certum, solidum ac infallibile, quale ad fidem requiratur, medium cognoscendæ veritatis diuinæ habere nisi ex sola S. Scriptura, adeoq; nulli vel concilio, vel Ecclesiæ credendū esse, nisi ad scripturam à quolibet fuerint examinata. Atq; ita redit nobis eadē quæstio de componendo dissidio inter quemlibet ex populo & concilio, quæ antea de Magistratu & concilio mota erat. Si enim Magistratus salua conscientia & potuerit & debuerit à concilio diuersam sequi sententiam, eo quod concilium ex hominibus errori obnoxius conflatum, falli posset, ipse autem melius se ex S. literis edoctum crederet; dubium non est, quin mortaliū nemo assentiri Ecclesiæ determinationi teneatur, si diligenti pro conditione sua examine facto, aliter se ex Scripturis intellexisse arbitretur. Licebit itaque huiusmodi hominibus contrariam toti mundo sententiam defendere, secessionem bona conscientia ab Ecclesiâ facere,



facere, discipulos suæ opinionis colligere, Ecclesiam ac Magistratum hæresios & apostasiæ condemnare: vno verbo; Lutherum agere. Nec erit inter homines aliquis, qui vel ex Dei verbo, vel ratione evidenti infallibiliter hunc hominem erroris, ac contumaciæ queat convincere. Cū enim omnes homines errori sint obnoxij; & quantumvis putent Scripturam verbo ac sensu apertissimis veritatem contra tale hominem expressisse, in hac sua opinione possint falli, ita ut Scripturæ alius sit sensus, quam ipsi putant, incertum & fallibile manet eorum Iudicium, iuxta illud Teelingio valde familiare, *omnis homo mendax, & magni etiam homines falli possunt.* Nec prodest respondere quædam in Scriptura ita esse manifestè declarata, ut absq; contumacia nemo dissentire, aut alium sensum ijs affingere valeat; atq; adeo in his erratē instruendū prius esse, ac deinceps in errore persistentē tanquā aſ okatakriton hæresios cōdemnandum. Nihil inquam hoc iuvat. Nam experientia docet plurima, quæ vni videtur in Scripturis extra omnē controuersiam clarissima, quibus absq; contumacia cōtradici nihil possit, eadē ab alijs secunda cōscientia post multorum etiam annorū diligentissimum studium, post lectas relectasq; integras verbi Diuini literas, non tantum videri obscura, sed etiam pro sua contraria sententia apertissima. Exemplum esto tot annorum in-

*id est, proprio iudicio condemnatum.*

S 2 ter

bi ipse  
omnia  
ita esse  
ere sen  
re pol  
ipse sa  
stante  
us fate  
8. sect. 4  
rum,  
d fidem  
eritatis  
deocq;  
ū esse,  
examin  
de cō  
populo  
& con  
ua cō  
ilio di  
ncilium  
um, fal  
ris edo  
morta  
natiōi  
sua exa  
llexisse  
homini  
efende  
Ecclesia  
facere,



ter Remonstrantes ac Contra-Remonstrantes tot scriptis vtriusque libris, tot citatis Scripturæ testimonijs disputatio; exemplum item plurium annorum vtriusque partis aliorumque sectariorum cum Catholicæ Ecclesiæ defensoribus de plurimis Sacræ Scripturæ locis dissidium. Damnat pars vtraque aduersariam contumaciæ; manifestè (quantum quidem existimat) Scripturæ veritati subnixæ. Certum interim est, alteram contumaciæ ream non esse. Quænam verò sit ista, quis Iudex terminabit? Si dicas Scripturam stare claram pro tua parte; vide ne erres; homo enim es errori obnoxius; & plurimi, qui id ante te ceciderant, nunc mutata sententia palinodiam cecinerunt.

Quartum idque præcipuè deplorandum ex iisdem iam positis à Teelingio principijs absurdum consequitur; scil. Neminem mortalium vllum habere suæ fidei firmum fundamentum, omnes omninò homines, ipsum etiam VVilhelmum Teelingium de sua fide merito debere vacillare, & si quis certum se dicat de suæ fidei veritate, illum eo ipso manifestè erroris conuinci posse. Hanc extremam lanè miseriam dum Teelingius studet effugere, cum *cap. 28. sect. 3.* inuadata Ecclesiæ tanquam hominum autoritate fallibili, solam S. Scripturam dono S. Spiritus probe intellectâ pro firmo solidoque medio indubitatæ (pro qua  
mori



mori quis debeat) fidei tenendam esse statuit, nimis profecto improuidus vltro incurrit. Vidit etiam se eam incurrisse, subitoque falsus mox iterum negauit. Nam pag. 257. cum sibi obiecisset quemlibet priuatum hominē, iuxta traditam à se doctrinam, facillè propriā è S. literis contra vniuersam Ecclesiam exco- gitaturum sententiam, putaturumq; etiam se Spiritum Dei habere, respōdet, vnumquem- que debere cautè diligenterq; attendere (agi enim de animabus) ne decipiatur, ideoque iuxta S. Pauli doctrinam debere se frequen- ter probare, an sit in fide; debere etiam Eccle- 2. Cor. 13. 5. s. fiam quemlibet ad hoc faciendum admo- nere: sed amplius (ait) nihil ex parte homi- num medijs spiritualibus fieri in hac re potest; nullum aliud effugium hominibus hic in terris à Deo in hac re concessum est: supremum, & in quo solo particularis quisque fundare se potest, est testimonium Spiritus Sancti ex Sacris literis cuiusque particularis hominis conscientia fa- ctum, hoc transcendit omnes hominum determi- nationes. Si putat homo se testimonium Spiri- tus ex sacris Litteris pro sua parte habere, & tamen decipitur, non aliud est remedium, quàm quòd à nobis supra indigitatum est, vt talis quis- quam sanius sapiat. Deus in terra vltterius re- medium nullum dedit, quo homines de facto or- thodoxos eiusdemque sententia redderet: istud incommodum Deus adhuc relinquit filijs homi- num



num propter peccata ad humiliationem eorum,  
 & omnino frustra laboratur dum quidam co-  
 nantur aliud adhuc quippiam exquirere quo  
 inter Christianos omnia accommodari cuncta-  
 que dissensiones finire possent. Deinde, ut ha-  
 beat socios in miseris, conatur probare etiã  
 apud Catholicos huiuscemodi esse fidei in-  
 certitudinem, quod eius argumentum nos in-  
 fra examinabimus. *parte 4 cap 7.* Tandem cõ-  
 cludit: *In hoc ergo versatur negotij cardo ut quis*  
*que diligenter attendat ne in iudicio suo decipia-*  
*tur & amplius nihil hac in re miseri ac defecti-*  
*biles hominum filij possunt efficere. Profecto*  
*ter miseri hominum filij si ita se res habet.*

*Heb. 11, 6.*

Quis enim vbi didicerit impossibile esse sine  
 (recta) fide placere Deo simulque crediderit  
 post breuem caducamque hanc vitam ijs qui  
 Deo non placent, æternum cum Diabolo &  
 Angelis eius paratum esse gehennæ incen-  
 dium; ac deinde num in vera fide sit semeti-  
 ipsum examinauerit, si nihil hic inueniat, quo  
 certus de fidei suæ veritate possit subsistere;  
 quis inquam non meritò exhorrescat aper-  
 tum in quo degit salutis periculum? quis tan-  
 to in discrimine migrare ad tribunal Christi  
 non formidet? Teelingius hic nimis se mul-  
 tum concessisse videns iterum pagina 259  
 hanc mouet quæstionem: *Cum igitur ita se*  
*res habeat, an nihil ergo certum aut infallibile*  
*datum sit nobis, ad quod iudicium nostrum &*  
*Spiritu*



Spiritum qui in nobis operatur probare posimus, num sit orthodoxus? Respondet affirmative: Ad hoc enim (ait) conducit Sacra Scriptura; omne iudiciū omnisq; Spiritus ab ea discordās malū est iudiciū & falsus Spiritus. Quamobrem studendum est vt conuictione & collatione Scripturae disidium ad exitum deducatur. si vlla vera fidei firmitas haberi debeat, & vltterius miser homo procedere non valet. Itane tuas oues teque ipsum vento patcis Teelingi? vnde nosti spiritum qui in te operatur bonum esse? Quoniam, inquis, cum Scriptura concordat. Ergo ne sine illo Spiritu Scripturam intelligis? Si sic: ergo absque bono Spiritu Scripturam intelligis: non ergo bonus est ille tuus intellectus. Si autem per eundem Spiritum Scripturam intelligis, quid mirum est si spiritus ille cum Scriptura sic intellecta consentiat? Alius interim per alium spiritum Scripturam aliter intelligens eundem suum spiritum etiam cum Scriptura ( prout ab eo intellecta est) consentire non dubitat: certus tamen est se suumque spiritum à te ac tuo dissentire: quid ergo prodest si quis ad Scripturam spiritum iudiciūque suum examine? Sed desperans effugium iterum relabitur in priorem miseriam: Vltterius, inquis, miser homo procedere non valet: Manet ergo miser homo in fide sua dubius adeoque fidem nullam habet. Dubitare enim in fide infidelitas est.

S 4

Quis



Quis ergo saluus esse poterit? Deinde etiam si verum esset ex diligenti ista quam Teelingius à quolibet homine exigit scripturarum collatione fidei certitudinem acquiri posse, id tamen maximæ Christianorum parti prodesse nihil posset: quotus enim quisque est de populo, cui propter domesticas occupationes vacet ita diligenter Scripturas voluere, ut omnia quæ aduersarij pro suæ sententiæ veritate tanquam aperta Scripturæ testimonia protulisse aut ratiocinando deduxisse se existimant, ea quoque quæ ab alio quolibet produci possent, examinare dijudicareque possit: quod tamen nisi quis fecerit, aduersarij sententiam à Scriptura discordare adeoque suam Scripturæ conformem esse firmiter statuere non poterit. Certe quid idiotæ, quibus ne vulgaris quidem litteraturæ concessa est à Deo cognitio? an à Christiana fide adeoque à celorum regno absque misericordia excludendæ fidem verò vnde haurient? è sacris dumtaxat Litteris? Sed legere eas non possunt. An concionatoribus suis fidem adhibebunt? Si hoc velit Teelingius, curet ergo primum vbiuis locorum istiusmodi concionatores constitui, qui omnia aduersariorum argumeta ita discussissent, ut inualida ea esse affirmare suæ mendacio valeant. Dein meminerit eorum quæ capite 14. Sect. 3. docuit de ijs qui vnanimè SS. Patrum de re quadam doctrinam non ipsi le-

Pag. 42.

43.

tione



Etione inspexerint, sed, alijs id ita se habere affirmantibus relatione audierint, tales scilicet si quod dicitur, crediderint, non Sanctorum Patrum niti auctoritate, sed nuda tantum asseueratione Ioannis aut Antonij. Si ita est, quid de tot plebeiorum millibus statueretur, qui quænam sacrarum Literarum sit sententia, nisi ex alijs audiant, scire nullo modo possunt?

Quintus ex iisdem Teelingij fundamentis pullulans defectus est authoritatis Ecclesiæ à Christo Domino ei concessæ destructio, unde & iniustæ usurpationis reatus omnibus omnino sæculis in Ecclesiâ, etiam in eam quam Teelingius appellat reformatam, redundat.

Si enim veritatem dubiam aut incertam nemo alteri pro certa ac indubitata licitè possit proponere, ut ipsa rei natura docet: multò equidem minus cuiquam licebit aliù ad huiusmodi veritatem pro indubitata recipiendam, grauissima, & qua in hoc mundo non est alia maior, excommunicationis pœna proposita cogere. Fatetur verò Teelingius & constantissimè asseuerat, nullum esse omnino conciliū, aut synodum quæ (utpote ex hominibus conflata) errori non sit obnoxia, adeo ut plurimum suffragijs mendacium posset pro veritate concludere. Hoc si ita sit, nullum est omnino concilium quod certam, & de qua dubitare nulli liceat, veritatem possit decernere,



nere, quantumvis iuramento etiam asseueret omnia iuxta verum Scripturæ sensum determinata esse. Fortassis enim, dicit Teelingius, ita concilium putat sed errat. Vnde manifestè deducitur non licere vlli cōcilio determinationes suas fidelibus sub excommunicationis pœna proponere aut anathema dicere, id est, pro ethnico & publicano habere omnes qui assentiri determinationi suæ noluerint, quæ tamen auctoritas & à Christo Ecclesiæ concessa est *Matt. 18. versu. 17. & 18.* & omnibus seculis ab Ecclesia fuit vsurpata; quin & ipse Teelingius eandem Ecclesiæ autoritatē etiam super Magistratum propugnat: & in concilio Reformatorum Belgij Embdæ habito *Anno 1571. articulo 26. 30. & 31.* quomodo huiusmodi excommunicatio fieri debeat, præscribitur: quod & confirmatum est in Concilio Dorderaceno *anno 1574. articulo 82.* & in alio ibidem habito *1578. articulo 91. & 96.* iterum decretum; in Medioburgensi quoque synodo *anno 1581. articulo 59. & 62.* in alijs idem statutum.

Sextū quod ex Teelingij doctrina sequitur incommodum, est, quemcumque licitè potest reuocare in dubium omnes antiquas hæreses vniquam ab Ecclesia condēnatas. Cum enim Ecclesiæ aut cuiuscumque concilij definitiua sententia falsitati sit obnoxia, fieri potest ut omnes antiquæ hæreses iniuste sint condēnate,



nata, præsertim cum earundem hæresion propugnatores non minus fortiter ab Ecclesiæ ad Sanctæ Scripturæ Iudicium appellauerint, nec minus audacter Concilij quisque eius in quo damnatus erat, sententiam perfidiæ incusauerit, quàm modo Lutherani aut Calvinistæ in Tridentino Concilio damnati, id ipsum faciunt. Adeoq; non erit pro certo habendus, hæreticus, qui Arrij, Manichæi, Eutychetis, Macedonij, Arij, Vigilantij aliorumq; monstrosa dogmata ab inferis reuocare inceperit, eaque Sacræ Scripturæ consentanea esse firmiter crediderit. Adeoque quotiescunque talis aliquis siue vera siue ficta conscientia antiquorum conciliorum decreta reuideri & ad Scripturam examinari postulabit, tenebitur Ecclesia ei morem gerere, & super eadem re nouas perpetuò synodos congregare; & tamen semper ita discendo ad veram scientiam nunquam pertingere poterit, nec simplici plebeculæ vllum præscribere certum remedium, quo lupos illos sub ouina S. Scripturæ pelle absque missione *venientes* possit discernere.

Septimum denique eadem via deducitur inconueniens; multos quoque in dubium vocari posse Sacræ Scripturæ libros, de quorum authoritate olim à multis dubitatū est, quosque deinceps Ecclesia in concilijs canonicos, non fecit, sed esse determinauit. Nam præ-



terquam quod Ebionitæ omnia Pauli Apostoli scripta reiecerint, ipsumque Paulum grecum & apostatam vocauerint (vt testantur Irenæus libro 1. capite 26. & Epiphanius hæresi 30.) quod idem postea etiam Helchæsetis placuisse ait Eusebius 6. historiarum, capite 27. præterquam item quod Marcion epistolas ad Timotheum & Titum reiecerit (Epiphanius hæresi 42. & Hieronymus præfatione commentariorum in epistolam ad Titum) non equè semper ab omnibus recepti fuere in Ecclesia huius libri, Hester, Baruch, pars Danielis, Tobias, Iudith, Sapientia, Ecclesiasticus, Machabæorum primus & secundus, Marci, Lucæ, Ioannis partes quædam; epistolæ item, ad Hebræos, Iacobi, posterior Petri, primæ Ioannis particula, secunda & tertia tota, Iudæ, & Apocalypsis. Nunc autem cur hæc omnia apud Catholicos, quædam etiam apud Lutheranos, & Calvinistas pro canonicis diuinisque scriptis de quibus vel minimum dubitare sacrilegium sit; cur inquam recepta sunt? Non nisi ob determinationem Ecclesiæ quam Teelingius decipi posse contendit. Vt modò si eam de nullo omnino Scripturæ libro, aut verbo, infallibiliter certum esse posse Teelingius sitne verbum Dei nec ne: nec enim hoc rogatus probare vllò infallibili argumento potisset, si Ecclesiæ aut omnium Conciliorum iudicium falsum esse posse pergat statuere. Ita

fei  
Sac  
ta  
du  
exi  
con  
ine  
pot  
par  
mit  
ling  
dæ  
Eub  
renc  
istos  
men  
pro  
nem  
fellis  
distr  
è fug  
spen  
tion  
libra  
tibus  
fund  
gru  
Com  
tæ sua  
ente  
scille



scilicet ab humana quæ falli potest ad diuinã  
Sacrarum Litterarum infallibilem authori-  
tatem oues suas Teelingius laborat frustra de-  
ducere. Ex his ergo omnibus satis apparere  
existimo hanc huius viri doctrinam ita ad  
concordiam stabilem quæ Ecclesiæ pacem aut  
ineundam aut conseruandam nihil facere, vt  
potius animarum saluti publiceque quieti non  
parum sit pestifera adeoque nullatenus ad-  
mittenda. Cum itaque non semel idem Tee-  
lingius fateatur aliud nullum se nosse ineun-  
dæ concordie remedium, quàm quod ipse in  
Eubulo suo descripsit, aliunde cõsolatio que-  
renda est. Nec verò vllum inter Reformatos  
istos Ministros reperio, qui præter supra cõ-  
memorata saluandæ vnitatis consilia aliud  
proferre vel potuerit vel ausus fuerit: nemi-  
nem inter tot Magistros & pastores qui mi-  
sellis suis ouibus, tot opinionum diuersitate  
distractis, tot scriptis libris, tot proclamatis  
è suggestibus contentiosis concionibus su-  
spensis, & vel aduersæ partis odio contra ra-  
tionem obduratis, vel ex prudenti rationum  
libramine in conscientia sua miserè fluctuan-  
tibus, vllum agnoscendæ veritatis solidum  
fundamentum, fideique suæ probandæ con-  
gruam quandam rationem præbere potuerit:  
Compertum habeo quosdam in extrema vi-  
tæ suæ hora moribundos, iam iamque ingru-  
ente terribili mortis insultu, ob fluctuantem  
in fide



in fide conscientiam pauefactos ex adstantibus fatali lecto prædicantibus, multa que propter plenariam Christi pro nobis satisfactionem speciosè promittentibus, cum obtestatione ardua quæsiuissent, num si in diuino iudicio mox sibi euenturo de isthac quam protestabantur fide condemnationis periculum ireretur, ipsi parati essent ad idem tribunal citari, ibique totum quod fuerit doctrinæ periculum in se recipere: tum verò ministros illos, bonos scilicet pastores, timuisse animas suas pro ouibus tradere, iniquum hoc esse fecerunt arguentes & diuinæ scripturæ dissentaneum, quæ doceat quemque in Dei iudicio pro se responsurum, suamque sarcinam laturum esse, atque hoc modo desperabundos illorum homines omniq; solatio destitutos querulis votis & vocibus ex hac vita demigrasse. Misere profecto me tot millium animarum speciosis, ventosis inquam & falsissimis Reformatorum promissis à Catholice veritatis soliditate abductæ vel imprudenter firmum se fidei fundamentum obtinere arbitrante vel eodem fundamenta prudentius examinato, in arena quidem se ædificasse comperit in tanta tamen opinionum diuersitate que nam se tutò possint conuertere dubitant. Hæc opto & oro primum det Deus ardens & prouidum salutis desiderium. Quod si habuerint, prosequenti nostræ disputationis ordine